



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Quid sit vera reconciliatio proximi, quam Deus exigit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

& 4. Regum 10. laudatur Iehu, qui inquit, vide zelum meum pro Domino, & Psal. 68. zelus domus tuæ comedit me, id est, exarsi magno impetu defendendę domus tuæ. & 3. Regum 19. inquit Helias: Zelo zelatus sum & cæt. & Dauid inquit Psal. 138. Perfecto odio oderam illos. Sic quoquę Prophetę sæpę maledicunt impijs: & sic in heroicis viris reperitur talis impetus & zelus defendendę iustitię & puniendę turpitudinis, reipublicę tuendę, & c: & plurimũ commendantur. At ira priuata & exarsio cupiditate vindicandi, hæc peccatum est, & contra Dei præceptum Dilige proximum tuum sicut teipsum. Et Christus Matth. 5. iram refert ad hoc præceptum, Non occides vbi prohibet priuatam iram. Non solũ igitur manus aut gladius prohibetur hoc præcepto, sed etiam animus, ira, odium nocendi, maledicentia, detractio, delectatio in miserijs aliorum. Verbis & cõsilijs claudis destinis promouere cædes, bella, simultates, & punitiones aliorum, seipsum vlcisci verbo & facto. Omnia hæc deus grauissimẽ punit, & scriptura dicit Ecclesi 28. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Igitur priuata ira & vindicta, est grauissimum peccatum.

## CAP. XIII.

## ARGVMENTA.

1. *Quid sit vera reconciliatio proximi, quam Deus exigit.*
2. *Quòd illa Deo plũs placeat, quàm munus, id est, opus etiam quodcunq;.*
3. *Quale habeat premium reconciliatio.*



Era reconciliatio proximi, est perfecta cordis condonatio offensę illi qui offendit: Est autẽ perfecta & integra condonatio, est & falsa & imperfecta. ali.



qui enim condonant verbo solum, & interim rancorem in corde retinent, & illa est falsa reconciliatio, quam & Christus rejicit Mat. 18. in parabola cum seruo nequam, ubi ait: sic & pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris: De illis quoq; dicitur Hier. 6. dicentes, pax pax, & non est pax. Sic Iudas foris simulabat se amicum, at in corde retinebat malum propositum, donec proditionem suam perficeret, Mat. 26. Sic Absalon se simulat amicum Amnoni fratri suo, licet stuprasset Thamar sororem suam, donec nascisceretur tempus occidendi illum, 2. Reg. 13. Cordis autem condonatio in hoc cognoscitur, si beneficium sequitur: sic Ioseph condonans fratribus suis offensam in Aegypto, beneficijs eos affecit, Gen. 44. & Moyses orat pro sorore leprosa, qua ipsum offenderat, Numer. 12. Talem reconciliationem etiam docet Apostolus Roman. 12. Non malum pro malo reddentes, sed est diuerso bonum, & sic carbones, &c. Insuper ad veram reconciliationem exigitur, vt accedas offensum, & ei loquaris, petendo, humiliando &c. Sic enim fecit Iacob Esau fratri suo, adorans illum, id est, reuerentiam ei faciens, & humilia verba profert, Gen. 33. Et Christus inquit Matth. 5. Vade, non dicit, quiesce, ne loquere illi: sed vade, inquit, & reconciliare proximo tuo. Qui igitur prior occasionem dedit offensa, tenetur quoq; prior alium adire & reconciliare: & rogatus, debet remittere fratri non solum semel in die, sed septuagies septies, Matth. 18. Quod si quis prior occasionem dedit, & noluerit venire: accede tu illum propter DEI preceptum, nam Dominus noster Christus id te facere iubet, & dicit: Vade reconciliari: ne igitur respicias hominem, sed obedi etiam diuini precepti, & lucraberis fratrem tuum. Si autem perrexerit pertinacia sua, tu tamen liberasti animam tuam a carcere odij, & eris excusatus coram Deo.

Se-